

213.

15.

## Disputatio II.

DE DAMNO, VNDE LEGIS A QVI-  
LIA, VEL IN FACTVM PRÆTORIA  
actio:tum etiam de corruptela serui filijue fam. vnde  
serui corrupti actio,

Q V A M;

Auspice D. O. M.

P R A E S I D E

C L A R I S S I M O

E T C O N S V L T I S S I M O V I R O,  
DOMINO HENRICO BOCERO, V. I. D. ET PRO-  
fessore in Illustri Tubingensium Academia celeberrimo,  
Præceptore per honorando:

ORDINARII EXERCITII GRATIA  
hora, loco que consuetis pro ingenij viribus defen-  
dere conabitur


IODOCVS COLB SPIREN.



T U B I N G A;  
Apud Georgium Gruppenbachium,

A N N O M. D. XCVIII.

E



## Disputatio II.

DE DAMNO, VNDE LEGIS AQVILÆ, VEL IN FACTVM PRÆTORIA  
actio: tum etiam de corruptela serui filijue fam. vnde  
serui corrupti actio.

### THESSIS I.

**E**RTIA priuati delicti nominati species est damnum.  
(a) Damnum est delictum priuatum, (b) quoquis non  
iure (c) patrimonium alicuius citra rei interceptio-  
nem (d) facto quodam diminuit. (e)

(a) Damnum per metonymiam effecti significat iuris conditori-  
bus ipsum delictum in l. 4. de O. & A. & §. 1. Inst. de obl. quæ ex del. nasc. (b) Quia  
inde actio forensis ad priuatum commodum prodita est. (c) l. 3. ibi oportet iniu-  
ria id esse factum. & l. 5. in prin. & §. 1. ff. ad L. Aquil. (d) Hoc differt damnum à  
furto & rapina. Bl. ad l. seruus seruum. §. si oliuam. ff. ad L. Aquil. & post eum Ias.  
ad l. si familia. n. 5. ff. de Iurisd. aliud est damnum, inquit, aliud furtum: quia da-  
mnum est cum corruptione: furtum cum amotione. (e) Quia damnum, de quo  
hic agimus, varijs fit modis, & damnum à diminuendo dicitur. l. 1. & l. 3. ff. de dam-  
infect. commodum omnino hoc verbum esse nobis videtur, quo præsens delictum de-  
finiatur.

### II.

Est autem duplex hoc damnum: damnum ita in specie dictum,  
(a) & corruptela hominis, puta serui filijue fam. (b)

(a) d. l. 4. ff. de O. & A. & d. §. 1. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. (b) l. si  
quis seruum. 9. § si inseruo. ibi, ad omnes enim corruptelas hæc actio pertinet. ff. de  
seruo corrupt. & hanc corruptelam damni speciem esse patet ex l. si quis seruum. 9.  
§. vlt. & l. seq. ff. d. t.

### III.

Damnum (a) ita in specie dictum est, cum quis alicui in corpo-  
re (b) rei ipsius facto (c) quodam nocet.

D I S P U T A T I O   S E C V N D A

(a) De hoc damno est tot. tit. ff. ad L. Aquil. & t. C. & Inst. de L. Aquil. tum etiam tit. ff. arb. furt. cæs. Vii arguit l. i. in pr. & l. s. §. i. & l. pen. ff. d. t. (b) Hoc differt damnum ita in specie dictum, à corruptela; quod illud pertinet ad corpus rei, hæc verò ad hominis animum & mores. Cuiac. in lib. 19. Pauli ad Edict. pag. 273. Donell. lib. 15. commentar. iur. ciu. c. 25. (c) l. si cuius. 13. §. de præteritis. ff. de vſufruct.

III.

In hoc delicto spectamus tum eum, qui ex damno dato obligatur: tum genera damnorum.

V.

Obligatur autem ex dato damno, qui iniuriâ id est contra ius (a), puta dolo, vel culpa sua (b) etiam leuissima (c) damnum aliqui attulit.

(a) l. 3. l. 5. §. 1. ff. ad l. Aquil. & §. iniuriâ a. occidere. Inst. de L. Aquil. (b) l. qui occidit. 30. §. in hac quoque actione. ff. ad L. Aquil. §. iniuria autem vers. ac ne is quidem. Inst. d. t. (c) l. in lege Aquilia 44. ff. d. t. And. Gail. lib. 2. obs. cap. 22. num. 2.

VI.

Sed vtrum delictum sit, vel quasi delictum damnum, sola culpa leui vel leuissima datum, anceps est quæstio? (a) Nos quasi delictum esse affirmamus. (b)

(a) Vide Hotom. ad §. præterea si medicus. Inst. ad L. Aquil. (b) Argum. tot. tit. Inst. de oblig. quæ q. ex del. nasc. & l. si quis. s. §. si iudex. & §. seqq. ff. de O. & A. Alij negant. Obstare videtur l. illud quæsum. 32. in fine princ. ff. ad L. Aquil.

VII.

Quia autem dolus vel culpa hic requiritur, ut qui damnum dedit obligetur, certè non tenetur ob damnum à se datum, qui doli aut culpæ capax non est, vt est furiosus, item infans, tum etiam impubes, qui iniuriæ capax non est.

d. l. sed et si s. §. & ideo. & §. seqq. ff. ad L. Aquil.

VIII.

Neque tenetur etiam, qui licet doli aut culpæ capax est, id tamen quod fecit non iniuria fecit, qualis est qui iure permittente quid fecit, vel casu fortuito. Iure permittente latronem insidianem tibi, vel quemcunque alium ferro te petentem occidere, & vulnerare poteris.

l. 4. in pr. & l. 5. in pr. ff. d. t. l. 1. §. vim vi. ff. vnde vi. & l. 3. ff. de Iust. & iur. Nec

## IX.

Nec obligatur, qui vel furem noctu deprehensum occidit: vel occidit furem interdiu deprehensum, & telo se defendantem; modò tamen ut illo sic & hoc casu id ipsum cum clamore sit testificatus.

d.l.4. §.1. & l.seq. ff. eod. tit. Vide Ioan. Schneidvyn. ad §. iniurian. 6. & 7. de L. Aquil.

## X.

Iure item permittente quis aduersarium occidere vel debilitare potest, publico certamine instituto, in colluctatione, in pancratio, in pugilatu; modò non petierit cedentem: quippe cum gloriæ causa, & virtutis, non iniuriæ gratia damnum dedisse videatur.

l. qua actione. § si quis in colluctatione ff. eod. tit.

## XI.

Si quis item maritus domi suæ deprehensum aliquem in adulterio occiderit aut vulnerauerit, non tenetur ob hoc damnum; quippe quilege Iulia permittente id fecerit.

l. qui occidit. 30. in pr. ff. ad L. Aquil. Quod enim fit lege permittente pœnam non meretur. l. Gracchus. C. ad L. Iul. de adult.

## XII.

Sed an obligetur etiam de resarcendo damno, qui incendij arcedi gratia vicinas ædes conflagrantes intercidit, iusta quæstio est? Labeo Iurisconsultus id quidem voluit, at Celsus & Vlpianus rectè negarunt, siquidem non iniuriâ, sed iusto metu ductus, ne ad se ignis perueniret, id fecerit; (a) & ædes æquè perituræ fuissent, etiam si à vicino non fuissent intercisæ. (b)

(a) l. si quis fumo. 49. §.1. ff. ad L. Aquil. & l. 3. §. pen. ff. de incend. ruin. naufr.  
(b) l. si alius fecerit. 7. §. est & alia. ff. quod vi aut dam. And. Gail. 2. obs. 22. n. 3. vers. Porro qui arcendi.

## XIII.

Quod si verò pro salute totius viciniæ, ne ignis omnia vrat, & latius serpat, domus vicini nondum ardens diruatur, omnes vicini pro eius reparatione in commune contribuere debent.

Argum. l. 1. & 2. ff. ad L. Rhod. de iactu. Andr. Geil. post alios, quos refert d. obseruat. 22. n. 4. Quod si autem ignis iam peruererit ad vicini ædes, quæ dirute sunt, ad contributionem illam vicini non tenentur. per d. l. si alius. 7. §. est & alia. ff. quod vi aut clam.

## XIII.

Idem etiam de eo dicimus, qui seruandarum mercium suarum causa alienas merces, quæ periculum cæteris pondere suo minabantur, in mare proiecit.

*l. qui seruandarum. 14. in pr. ff. de prescr. verb. cui legi coniungenda l.3. S. pen. in fin. ibi, cum alias non possit. ff. de incend. ruin. naufr. & d. l. si alius fecerit. 7. S est & alia ff. quod vi aut clam.*

## XV.

Similiter si quid magistratus aduersus resistentem fecerit violentius, ac propterea quid ruperit, non tenetur de illo damno, (a) ut qui nihil iniuria facit, qui facit iure licito, & iure honoris, quem sustinet. (b)

*(a) l. quemadmodum. 29. §. pen. ff. ad L. Aquil. (b) l.3. ff. quod metus causa. & l. iniuriarum. 5. 1. ff. de iniur.*

## XVI.

Casu fortuito damnum dedisse dicitur, cuius nulla culpa ipsum casum præcessit; quod duobus accedit modis. Vnus est, si casus, quo damnum datum est, nulla humana prouidentia præuideri potuit; ut si quis alterius impulsu damnum alicui dederit; (a) vel si putator ex arbore ramum, aut machinarius quid deiecerit, in priuatum locum, ubi vulgo iter non fit, & prætereuntem hominem ita occiderit, vel debilitauerit. (b)

*(a) d. l. qua ratione. 7. §. proinde si quis. ff. ad L. Aquil. (b) l. si putator. 13. ff. d. t. §. æquè extra culpam. Inst. eod. t.*

## XVII.

Alter modus est, si præuideri quidem casus potuit, culpa tamen, qua vacat exigenda ab eo non est, qui damnum dedit, sed potius illi adscribenda, qui accepit damnum: Veluti si quis cum deiceret aliquid pro commodo suo ex arbore, vel ædibus suis in publicum locum, ante proclaimauerit, & nihilominus casu eius, quod deiectum est, damnum alicui datum sit. De hoc enim damno, qui agit summouetur.

*d. l. si putator. 31. & l. qui foueas. 28. §. 1. ff. ad L. Aquil. d. §. item si putator. Inst. eod. tit.*

## XVIII.

Si quis item foueas vrsorum ceruorumq; capiendorum causa fecerit, aut laqueos posuerit illis in locis ubi fieri & poni solent, licet homo

## DE DAMNO.

5

homo, vel pecus in foueas, aut laqueos illos deciderit, & damnum inde acceperit, aduersus tamen facientem vel ponentem si egerit quis summouebitur, etiam si nulla proclamatio siue denunciatio facta sit.  
d.l. qui foueas, 28. in pr. & l. seq. in pr. ff. d.t.

## XIX.

Similiter si quis in ludo iaculatorio, cum esset ex ijs, quibus iacula*ndi* ius erat, sagittam ad scopum sit iaculatus, & casu prætereuntem traiecerit, de hoc damno non tenetur.

l. item si. 9. §. vlt. ff. h.t. §. iniuria autem vers. itaq; si quis dum iaculis, Inst. eod. t.

## XX.

Qui item dum pila tempestiuè luderet, vbi ex consuetudine ludebatur, pila vehementius percussa, aliquem ex spectatoribus eluscauerit, ob damnum illud conueniri eum iura vetant.

l. item Mela. 11. in pr. l. si ex plagiis. 52. §. vlt. ff. eod. tit. d. §. iniuria autem. vers. itaq; si quis dum iaculis, Inst. h.t.

## XXI.

Sequitur de generibus damnorū, quæ duo sunt: aut enim ipsum rei corpus læditur: aut integro rei corpore in eo alicui nocetur.

§. vlt. Inst. de L. Aquil.

## XXII.

Priori generi proposita est Lex Aquilia, (a) cuius hodie duo sunt capita; vnum pertinet ad eum, qui alienum hominem, aut quadrupedem quæ pecudum numero est, veluti ouem, capram, bouem, equum, mulum, asinum, suem, elephantum, camelum occidit. (b) Alterum spectat ad eum, qui hominem vel pecudem vsit, fregit, rupit, vel aliud animal, puta canem, auem, aprum, leonem, &c. occidit, aut vsit, fregit, rupit. (c) Vel rem quamcumque aliam, quæ anima caret, corruptit. (d)

(a) d. §. vlt. Inst. de L. Aquil. (b) l. 2. in pr. & §. fin. l. quemadmodum. 29. §. hac ratione. ff. ad L. Aquil. Inst. eod. tit. in pr. l. legatis. 65. §. prioribus legatis. & l. seruis legatis. 81. §. pecudibus. ff. deleg. 3. (c) l. si seruus. 27. §. tertio autem. & §§. seqq. d. l. quemadmodum. 29. §. hac actione. ff. ad L. Aquil. & §. capite tertio. Inst. eod. (d) dict. §. capite tertio, Inst. h.t. d. l. si seruus. 27. §. si quis vestimenta. & §§. seqq. ff. d.t.

## XXIII.

Et de hoc proximo genere competit actio ciuilis, (a) quæ dicuntur actio legis Aquiliæ, (b) item simpliciter Aquiliæ actio, (c)

tum

tum etiam damni iniuriâ actio, (d) & damni iniuriæ actio. (e) In qua spectamus, tum quotplex ea sit; tum quid veniat eam in actionem.

(a) per l. 1. §. 1. ff. ad L. Aquil. & vers. illud palam. Inst. de L. Aquil. iuncta l. ius autem ciuil. 7. ff. de iust. & iur. (b) l. sed et si §. 1. & 2. & toto tit. ff. ad L. Aquil. (c) l. si cuius. 13. §. de præteritis. ff. de vſufr. (d) l. impuberem. 23. ff. de furt. l. quemadmodum. 29. §. item Labeo. l. si seruus seruum. 27. §. si furnum. & §. Proculus. & §. si calicem ff. ad L. Aquil. (e) Inst. de L. Aquil. in princ.

## XXIII.

Est autem duplex hæc actio: Directa & Vtilis (a). Directa legis Aquiliæ actio est, quæ ex ipsis legis Aquiliæ verbis competit ei, qui dominus (b) est rei læsæ, aduersus eum, cuius præcipue & rectâ corpore animal alicuius occisum aut vitiatum, vel res alia deterior facta fuit. (c)

(a) §. ceterum. & §. vlt. Inst. d. t. & l. liber homo 13. in pr. ff. ad L. Aquil. (b) l. item Mela. 11. §. legis autem Aquiliæ, iunct. §§. seqq. d. t. (c) d. §. ceterum. & §. vlt. Inst. de L. Aquil. l. si seruus. 27. §. si quis vestimenta, & §§. seqq. ff. eod. tit.

## XXV.

Vtilis legis Aquiliæ actio est, quæ non ex verbis, sed ex interpretatione, & ad exemplum Plebisciti Aquiliæ competit; eaque sæpen numero in factum actio appellatur: (b) qualis est, quæ datur bonæ fidei possessori rei læsæ (c); item fructuario & vſuario, læsa re fructuaria vel vſuaria. (d)

(a) l. nominis 6. §. 1. Vbi Cuiac. Alciat. Gœdd. de V. S. l. sed et si. 12. ibi ad exemplum legis Aquiliæ ff. ad L. Aquil. (b) l. qua actione 7. §. proinde. & §. Celsus autem. l. item si obstetrix. 90. l. item Mela. 11. §. 1. ff. d. t. (c) d. l. item Mela. 11. §. sed si seruus ff. eod. tit. (d) d. l. item Mela. 11. §. vlt. & l. seq. ff. d. t. & l. locum. 17. §. vlt. ff. de vſufr.

## XXVI.

Eadem hæc actio libero quoque homini vulnerato aut debilitato ad damni, non corporis æstimationem competit; siquidem hic suorum membrorum dominus non sit.

l. liber homo. 13. in pr. ff. ad L. Aquil. Cuiac. lib. 21. obs. 20.

## XXVII.

Sed an patri hæc vtilis vel directa detur actio filiof. iniuriâ vulnerato

## DE DAMNO.

nerato quæri potest? Et dari ei hanc vtilem actionem ad damni æstimationem, (a) non autem actionem directam, (b) verius videtur.

(a) Per l. cum duob. 52. §. socium vniuersa. ff. pro socio. & l. qua actione. 8. §. in collectatione. vers. in filio fam. vulnerato. ff. ad L. Aquil. & l. Mater filij. 38. §. 1. de furtu. Cuiac. d. lib. 21. cap. 20. Donel. 15. comment. c. 26. pag. 454. (b) per d. l. liber homo. 13. in pr. ff. ad L. Aquil. Obstare videtur, quod patri etiam rei vendicatio nomine filij fam. competit. l. 1. §. 1. ff. de rei vend. & actio furti ob filium f. surreptum. l. eum qui. 14. §. si filius fam. & d. l. mater 38. §. 1. ff. defurtis.

## XXVIII.

Similiter & illud in quæstionem hoc loco vocari potest, an hæc actio competit ob stuprum virginis illatum? Et ipsi stupratæ fœminæ, si volens stuprum passa sit, neque hanc dari actionem putamus. (a) Sin per vim stuprata fuerit, nec tamen ei hanc competere actionem, modò ipso stupro vel partu, id est, fœtus editione difficultiori, eius corpus læsum non fuerit, planè arbitramur. (b)

(a) Volenti enim non fit iniuria. l. 1. §. vñq; adeò in fin. ff. de iniur. Et nemo ex propria culpa damnum sentire intelligitur, l. quod quis. 203. Vbi Petr. Fab. ff. de R. I. Et legis Aquiliæ actio pertinet ad damna, quibus res familiaris non dignitas minuitur. Br. ad l. si seruus seruum. 27. §. si oliuam. ff. ad L. Aquil. & Ias. ad l. si familia. ff. de iurisdict. Huc quoq; confert, quod etiam fœmina prægnans, puerpera sana esse dicuntur, l. queritur. 14. §. 1. & §. puerperam. ff. de ædil. edict. & l. 2. §. si non propter. ff. si quis cautionib. Deniq; hanc probat sententiam gl. ad l. si stuprum. 25. in verb. actionem. ff. de iniur. & ad d. l. si seruus seruum. §. si oliuam. in verb. aquilia tenebitur, ff. ad L. Aquil. (b) Per id, quod modò dictum fuit, etiam stupratam fœminam profana haberi; quodq; actio L. Aquiliæ ob rei familiaris, non dignitatis, diminutionem competit.

## XXIX.

Quinetiam licet ex ipso conceperit fœmina congressu, & problem pepererit, ne tamen puerperij impensam hac peti actione cxi- stimamus.

Perrationes precedenti enumerato adscriptas.

## XXX.

Quia tamen infantem etiam spurium solius patris impensa alii oportet, (a) non etiam matris sumptu nisi in subsidium (b): pro-

F indeq;

Indeque materialendo prolem negocium gerat patris, negotiorum gestorum actione sumptus puerperij, & educationis ab eo exigere potest; (c) modò actione præjudiciali de partu agnoscendo instituta, probarit priùs eum, quem conuenit, patrem esse. (d)

(a) Auth. licet. C. de natur. lib. c. cum haberet. in fin. extra de eo qui duxit in matrimon. c. 48. pag. 307. Zaf. ad §. præjudiciales actiones. Inst. de action. Vbi de Scholaribus loquitur, qui mulierem imprægnarunt, & ait, hos cogi posse, ut partum alant. (b) l. Nesennius. 34. ff. de neg. gest. & l. si quis. 5. §. ergo & matrem. iuncto §. si mater. ff. de agnosc. & alend. lib. (c) d.l. Nesennius. 34. ff. de Neg. gest. iuncta d.l. 5. §. si mater. ff. de agnosc. & al. lib. (d) d. §. præjudiciales. Inst. de act. l. 1. §. vlt. l. 3. § 2. quid ergo ff. de lib. agn. Et hac vtrahq; actione coniunctim experiri fœminas (id quod s̄apē fieri vidimus) autumo, quando marem in iudicio conueniunt, affirmantes eum partus sui patrem esse, petentes iudicari, ut is eum agnoscat, alat, & puerperij impensam soluat.

## XXXI.

Competit præterea hæc utilis actio legis Aquiliæ contra eum, qui non corpore suo damnum alicui dedit, sed causam duntaxat interitus, vel deteriorationis præbuit; Ut qui hominem alienum, aut pecus ita inclusit, vt fame perierit: aut iumentum ita vehementer egit, vt ruptum fit: aut pecus in tantum exagitauit, vt præceps sit aetum: aut alieno seruo persuaserit, vt in arborem adscenderet, vel in puteū descenderet, & is ascendēdo vel descendēdo, aut mortuus, aut aliqua parte corporis læsus sit: (a) aut Cisiarius dum cæteros transire contendit, cisum euertit, & seruum quassauit, aut occidit: (b) aut qui equum ita concitauit, vt calce percutiendo aliquem læserit: (c) aut qui vinum vel frumentum consumpsit: (d) aut qui glandem ex confinis arbore in suum fundum delapsam suo pecore immisso depauit: (e) aut qui in stipulam suam, vel spinam comburendæ eius causa ignem immiserit, & vltérius euagatus, & progressus ignis alienam segetem vel vineam læserit; (f) aut qui opem duntaxat alteri damnum danti præstítit, vt qui tenuit aliquem, vt alter eum interimeret, (g) vel canem saltem irritauit, vt aliquem morderet. (h)

(a) §. cæterum placuit. Inst. de L. Aquil. (b) l. item queritur. 13. in pr. ff. locati. (c) l. 1. §. & generaliter ff. si quadrupes pauper. fec. (d) l. qui occidit.

## DE DAMNO.

9

lit. 30. §. si quis alienum. ff. ad L. Aquili. (e) l. qui seruandarum. 14. §. vlt. ff. de  
Præscr. verb. (f) d.l. qui occidit. 30. §. in hac quoq; actione. ff. ad L. Aquil. Cuiac.  
in lib. 21. Pauli ad Edictum. pag. 360. (g) l. item Mela. II. §. si alius tenuit. ff. ad L.  
Aquil. (h) d.l. II. §. item cum eo ff. d.t.

## XXXII.

Dispiciemus modò quid veniat in hanc legis Aquiliæ actionem,  
directam & utilem. Venit autem in eam aestimatio damni dati, non  
principalis tantum, sed & eius quod interest: (a) quæ tamen aestima-  
tio ex communi iudicio, non ex singulari affectione, & singulorum  
utilitate ineunda est. (b)

(a) l. ait lex. 21. §. vlt. & ll. seqq. ff. ad L. Aquil. §. illud non ex verbis. Inst. eod.  
& l. 2. §. 3. ff. de priuat. delict. (b) l. si seruum. 33. ff. ad L. Aquil. vide Ioh. Robert.  
Aurelian. lib. 3. sent. iur. c. 14.

## XXXIII.

Vnde libero homine vulnerato, aut membro aliquo debilitato,  
peti hac actione potest, quod minus ille ex operis suis propter dam-  
num illatum habiturus est; tum etiam impendia pro curatione facta,  
proindeque etiam merces medico data, vel adhuc danda.

l. bac actione. 7. in princ. & l. si seruuus. 27. §. rupisse. ff. ad L. Aquil. & l. ex hac  
lege. 3. ff. si quadr. paup. fec. c. 1. ibi, operas eius & impensas in medicos restituat, ex-  
tra, de iniur. l. vlt. ff. de his, quæ detec. vel effud. Fürstliche Württember. Hoffge-  
richts Ordnung / parte 3. pag. 92. in fine. Est autem hic notandum diligenter,  
quod in aestimando damno cum primis spectari debet, vita genus hominis laeti, puta  
illius opera & opificium, quod exercet; cuius item sit atatis, id est, quandiu ad-  
huc superstes futurus verisimiliter credatur. Gloss. ad l. 3. in verb. impensarum. ff.  
si quadr. paup. fec. dic. per l. hereditarium. ff. ad L. Falcid. Sic aliquando nobili mi-  
liti, utroque oculo ex vulnere insidiosè orbato in Cam. Imp. multa millia pro mili-  
taribus officijs, quibus postea caritatus erat per sententiam adiudicata sunt. And.  
Geil. lib. 2. de pac. publ. c. 2. num. 19. Me quoque Adseffore in suprema Curia Vir-  
tembergica, Anno &c. 90. 4. Iunij, actori cui brachium alterum planè inutile fa-  
ctum erat, aduersarius pro eo damno condemnatus fuit in 150. flor. An. item 87. 20.  
Sept. per sententiam Reus pro damno iussus fuit flor. totidem dare actori, quod huius  
brachii & quosdam debilitauerit digitos, non tamē omnino ad eius opificiū inutilia

F 2

hac

hæc fecerit membra. Similiter Anno, &c. 88. 14. Martij, actrii, cuius alterum humorum reus ita fecerat debilem, ut ipsa brachio vix vti potuerit, damnum hoc estimatum fuit florenis centum. Sic etiam Anno &c. 94. 29. Maij, actori fabro ferrario, cuius sinistra ad eius opificium inutilis facta erat, Reus pro isthec damage condemnatus est in florenes centum & quinquaginta.

## XXXIII.

Vt autem certò constare possit, de damage corpori liberi hominis dato, præsenti & futuro, Medici & periti chirurgi adhiberi solent, qui damage inspiciant, & de eius magnitudine & qualitate iurato deponant.

Fürstliche Württembergische Hoffgerichts Ordnung/ parte 3. titul. 20.  
pag. 80.

## XXXV.

Cicatricum autem & deformitatis ratio haberi in hac actione non debet. (a) Proindeque nec doloris siue cruciatus, quo læsus affectus fuit. (b)

(a) d.l.vlt. Vers. cicatricum ff. de his qui deies. vele effud. & l.3. vers. scilicet. ff. si quadr. paup. fec. (b) Cùm enim nec ipsius corporis, nec cicatricum, nec deformitatis estimatio fiat, cur doloris & cruciatus haberi ratio deberet? maxime cum hic de estimatione damni agatur. Errant itaque indocti Rabula forenses, quos ius nostrum Vvirtenbergicum Entenmeyer appellat, quando in libello actionis L. Aquilia, Für empfangenen Schaden vnde Schmerzen / einen abtrag behrren.

## XXXVI.

Sed occiso homine libero, an vxor & liberū eius nomine operum interempti mariti & patris, quibus nunc carent, & carituri de hinc etiam sunt, hac actione experiri possint? Et affirmatiuam veritati propiorem esse non ambigimus, (a) quam etiam ius Vvitembergicum probat. (b)

(a) per text. in l. qua actione. 7. in pr. ff. ad L. Aquil. tum etiam autoritate Rogerij & Azonis, item ordinariae gl. ad d.l. 7. §. si quis in collectatione. in verb. gloriae causa. ff. d. t. Item, gl. ad l. huic scripture. 15. in verb. non posse. ff. eod. tit. & Speculatoris tit. de iniurijs & damage dato. §. sequitur videre. n. 3. 4. 5. & 6. Sentit idem Costal. add. l. 3. ff. si quadr. paup. fec. dic. & Vesembec. in paratit. ff. eod. b. tit. n. 7. &

## DE DAMNO.

II

n.7. & Hart. Hart. ad Eppingen. lib. practic. obseruat. tit. 50. obs. 10. in fine. Minimus quoque in casu occisi mariti actores in iudicio auditos & admissos aliquando fuisse. Et quia vxor liberig<sup>3</sup> eius reuera damnum passi sunt, & quidem rei familiaris damnum, non video, cur illis hac denegari actio debeat. Confert quoq<sup>3</sup> hoc, quod etiam heredibus hac actio competit, l. inde Neratius. 23. S. banc actionem ff. ad L. Aquil. Obstat videtur c. 1. ibi, & ille mortuus non fuerit, extra de iniur. & d. l. qua actione. 7. S. si in collectatione, ibi, in filio fam. vulnerato procedit ff. ad L. Aquil. Non desunt tamen, qui dissentiant, vti arguit gl. ad d. l. 7. S. si quis in collectatione. in verb. gloriae causa. ff. ad L. Aquil. & additio ad Speculat. d. tit. de iniurijs & danno dato. S. sequitur videre. sub lit. e. (b) Hoffgerichts Ordnung/parte 3. pag. 29. vers. da jemandt.

## XXXVII.

Est autem actio legis Aquiliæ non modò rei persecutoria, sed quandoque etiam pœnalis, atque ita mixta.

S. Sed & legis Aquiliæ actio. Inst. de action.

## XXXVIII.

Mista hæc est actio. atque ita etiam pœnalis. & res in qua datum sit damnum, pluris fuit tempore superiori, quam quo damnum est illatum. Ex primo enim capite L. Aquiliæ tanti fit æstimatio rei, quanti eo anno retrouersus plurimi fuit. Ex tertio item capite constituitur hæc actio in id, quanti in diebus triginta superioribus res plurimi fuit.

l. 2. l. ait lex. 21. l. inde Neratius. 23. S. idem Iulianus. l. si seruus 27. S. tertio. & l. quemadmodum. 29. S. fin. ff. ad L. Aquil. S. his autem verbis. & S. capite tertio. Inst. de L. Aquil. & d. S. sed & legis Aquiliæ. Inst. de action.

## XXXIX.

Est item mista hæc actio ex inficiacione Rei conuenti. Hic enim si in iure delictum inficiatus fuerit, in duplum damni dati condemnatur.

d. S. sedet legis Aquiliæ. & S. omnes autem vers. in duplum agimus. & S. sed furti quidem. Inst. de action. l. 2. l. inde Neratius. S. hæc actio. ff. ad L. Aquil. Ita me ad secessore, Anno 88. 6. Decemb. in causa quadam appellationis Suprema Curia Vviro rembergica Reum conuentum ex inficiacione dati damni in duplum condemnauit.

F 3

Huic

Huic tamen pœnae locus non est, si aduersarius qualitatem duntaxat, aut circumstantiam delicti inficiatus fuerit. Bl. num. 4. & Sichard. num. 10. ad l. 4. C. de L. Aquil.

## XL.

Sed duplum illud an ab auctore nominatim petendum sit, vele eo etiam non petito, iudex ex officio condemnationem extendere ad illud debeat, inter Dd. controuersum est. Et nominatim illud peti debere, & verius est, (a) & in practica seruandum. (b)

(a) §. oēs actiones, ibi, in simplum CONCEPTÆ sunt, vel in duplum. §. in duplum AGIMVS. Inst. de action. d. l. inde. 23. §. hæc actio ff. ad L. Aquil. Quo posteriori loco dicitur, quod hæc actio aduersus negantem in duplum competit. Est autem actio ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. §. 1. Inst. de action. Que ergo duplum ex aduersarij inficiatione desiderat, persequi illud debet. Confert item hoc, quod iudicis officium non nisi imploratum auctori impertiri debet. l. 3. §. hic autem iudicium ff. de damno infecto. Quodq; actio legis Aquiliae est stricti iuris, ut proinde in ea iudicis partes ad non peccata extendi non debeant. argum. §. in bonæ fidei. & §. præterea. Inst. de actionibus. (b) Bald. & Sichardus ad l. 4. C. de L. Aquil.

## XLI.

Est & illud h̄c notandum, quod actio L. Aquiliae competit etiam aduersus eum, qui conuentus fuit confessus à se damnum esse datum, etiam si ea sit falsa confessio, modò tamen à quocunque alio datum sit damnum; quæ confessoria dicitur actio. Quod si autem reuera nullum sit datum damnum, ne quidem ab alio, cessat hæc actio, etiam cōtra falsò confidentem, si hic doceat postea non esse datum damnum.

l. inde Neratius. 23. §. vlt. & l. seq. ff. ad L. Aquil.

## XLII.

Quod si plures damnum dederint; veluti si plures serum percusserint, vel trabem dei ciendo hominem oppresserint, queritur, an omnes teneantur? Et decisum legimus, si quidem casu priori apparet, cuius ictu perierit, ille quasi occiderit teneatur. Quod si non apparet, omnes quasi occiderint teneri: vt & casu posteriori indistinctè. Et si cum uno agatur, ceteros non liberari, siquidem ex lege Aquilia quod alius præstitit, alium non releuet, cum sit pœna.

d. l. item

d.l.item Mela. ii. §. sed si plures seruum. & §. si plures trabem. ff. eod. tit. Facit hoc l. 7. in fine. iunct. l. 8. ff. de iurisdict. Sed hoc verum intelligunt Dd. si dolo sit datum damnum, non etiam si culpa. Petr. Costal. ad d.l.item Mela. ii. §. si plures. ff. h. t. & Zaf. in summa eiusd. tit. mihi pag. 243.

## XLIII.

Sed vtrum singuli in solidum teneantur, etiam quo ad ipsius damni estimationem, & ita quidem, ut quod unus præstitit, alterum non releuet, anceps est quæstio? Et licet aiens sententia iuri consentea videri posset (a); & quius tamen & verius est, quatenus non pœnalis, sed rei persecutoria hæc est actio, à singulis quidem solidum peti posse, (b) sed ab uno quod præstitum est, alios releuare. (c)

(a) Tum quod Iurisconsultus Vlpian. d.l.item Mela. ii. §. sed si plures. ff. eodem tit. simpliciter & generaliter, Et, ait, si cum uno agatur, ceteri non liberantur. Tum quod IC. Julianus in l. ita vulneratus. 51. vers. estimatio autem. ff. h. t. expressè scribit, si duo separatim & distinctis temporibus seruum vulnerauerint, & quidem singuli mortiferè, vtrumque seruo inde mortuo ad damni estimationem teneri. Sed vide ad eandem l. Costal. Tum etiam quod in casu tantum, quo serui plures eiusdem domini damnum dederint, estimation perinde fieri iubetur, ac si unus duntaxat damnum dedisset, l. illud quæsum. 32. ff. eod. tit. Extra hunc igitur casum aliud est dicendum, quod scilicet in singulis solidi estimation fiat, per l. Quæsum est, 12. §. idem respondit. vers. nam qui hæc. ff. de instruct. vel instrum. leg. Tum denique, quod si plures eandem arborem furtim cederint, cum singulis in solidū agitur. l. si plures. 6. in pr. ff. arbor. furt. cæs. Arg. hanc etiam sententiam tenet Rol. à Valle conf. 63. num. 14. ibi, quilibet in solidum ad damnum emendandum tenetur. Vol. 2. (b) l. si plures. 6. in prin. ff. arb. furt. cæs. & l. 3. ff. de his qui deiec. veleffud. (c) Hotoman. ad §. his autem verbis legi. Instit. de L. Aquil. Zaf. in summat. ff. ad L. Aquil. pag. 243. vers. si vero plures. Vesenbec. in paratit. ff. b. t. num. 9. l. 1. §. vlt. iunct. l. 3. ff. de his qui deiec. veleffud. & l. 1. C. de cond. furt. l. preinde. 6. ff. d. t. & §. in vtraque. Instit. de duobus reis stipul. l. alienares. 20. §. 1. ff. de pig. act. l. 1. in fin. iuncta l. 3. vers. eumq. ff. de exercit. act. Huc quoque pertinere videtur, quod bona fides non patitur, ut idem bis exigatur. l. bona fides. ff. de R. I. & l. qui seruum. 34. in princ. vers. quoniam. ff. de O. & A.

Vnde

## XLIII.

Vnde si liber homo in rixa interfectus sit, & sciri non possit, cuius ictu perierit, omnes & singuli, qui percusserunt eius coniugi, liberis vel parentibus, damnum, quod inde contraxerunt, emendare in solidum tenentur, (a) etiam iure Vvirtembergico. (b) Vnus tamen si solidum praestiterit, cæteri liberantur. (c)

(a) d.l.item Mela, 11. §. sed si plures, & §. si plures. & d.l. ita vulneratus. 51. vers. Idq; est consequens ff. ad L. Aquil. & communiter sentiunt Dd. quos citat & sequitur Alexan. conf. 15. num. 12. vol. 1. & Rolan. à Valle d. conf. 63. num. 16. vers. secundò non obstat. vol. 2. (b) Fürstliche Würtembergische Hoffgerichts Ordnung/parte 3. pag. 92. vers. da jemand in einer. (c) arg. l. 1. §. vlt. iunct. l. 3. ff. de his qui deiec. vel effud. d.l. 1. in fin. iuncta l. 3. vers. eumq; ff. de exerc. act. d.l. 1. C. de cond. furt. l. proinde. 6. ff. d.t. l. si pignore. 54. §. pen. ff. de furt. l. qui seruum. 34. in pr. vers. quoniam desijt. ff. de O. & A.

## XLV.

Similiter si in plurium rixa homo aliquis liber vulneratus sit, (a) nec constet, à quo vulnus acceperit, tunc omnes, qui percusserunt, in solidum (b) vulnerato tenentur ad damnum illud emendandum: puta ad impendia incuratione facta, mercedes item medicis praestitas, & operas, quibus caruit, & cariturus est, ob id quod inutilis est factus: (c) etiam iure Vvirtembergico, (d) Vnus tamen si solidum praestiterit, cæteri liberantur. (e)

(a) d.l. qua actione. 7. in pr. l. si plures. 6. in princip. ff. arb. furt. cas. (b) l. 1. in fine ff. de his qui deiec. vel effud. l. item Mela. 11. §. sed si plures. & §. si plures. l. ita vulneratus. 51. vers. idq; est consequens. ff. ad leg. Aquil. & l. vltim. ff. de his qui deiec. vel effud. (c) d.l. qua actione 7. in princip. ff. d.t. (d) Fürstliche Würtembergische Hoffgerichts Ordnung/parte 3. pag. 92. vers. vlt. (e) d.l. 3. ff. de his qui deiec. vel eff. l. 1. in fine iuncta l. 3. vers. eumq; ff. de exercit. act. l. 1. C. de conduct. furt. & l. 6. ff. d.t. Zaf. in summa tit. ff. ad L. Aquil. mihi pag. 243. vers. si vero plures.

## XLVI.

Datur autem legis Aquiliae actio etiam heredi, cæterisque suc-  
cesso-

## DE DAMNO.

15

cessoribus: In heredem autem & cæteros successores non datur, cum sit ex maleficio pœnalis; ne quidem quo casu est rei persecutoria; nisi fortè ex ipso damno heres factus sit locupletior, vel his cum defuncto sit contestata.

*l. inde Neratius. 23. §. hanc actionem. ff. ad L. Aquil. §. his autem ubi Gl. & Hotoman. Institut. de L. Aquil. §. non autem omnes. Institut. de perp. & temp. act. l. pupillum. m. §. i. l. toties. 44. & l. sicuti. 39. ff. de R. I. Anton. Gomes. tractat. var. resolut. tomo 3. c. 1. num. 85. Hartman. Pistor. lib. 1. quæst. iur. quæst. 27. num. 2.*

## XLVII.

Cum hac actione ex facto eodem concurrit ex l. 12. tab. actio arborum furtim cæsarum; (a) puta contra eum, qui alienam arborum (b) ignorante domino, celandi que eius causa, (c) furtim, (d) vel cædit, (e) vel subsecuit, (f) cuius condemnatio duplum continet, (g) cui tamen duplo ipsum damnum inest. (h)

(a) l. i. l. 5. §. i. l. pen. ff. arb. furt. cæs. (b) arboris appellatione continentur etiam vites, item hederae & arundines. l. 3. in pr. & §. 1. ff. d. t. (c) l. furtim. 7. in pr. & l. seq. in fine ff. eodem tit. (d) furtim arborem cædit, qui clam cædit. l. facienda. 8. §. 1. ff. d. t. (e) cædere est non solum succidere, sed etiam ferire cædere causa. d. l. 5. in prin. ff. eod. (f) d. l. 5. in prin. & d. l. furtim. 7. §. 2. ff. d. tit. Qui radicibus arborem euulserit, vel extirpauerit, actione quidem L. Aquiliae, non etiam hactenetur. d. l. furtim 7. §. 2. ff. b. t. arb. furt. cæs. (g) d. l. 7. §. vlt. ff. eod. (h) d. l. facienda. 8. in prin. & l. seq. ff. d. t. Cuiac. in lib. 39. Pauli ad editum. pag. 249.

## XLVIII.

Etsi plures eandem arborem cæciderint, cum singulis insolidum agetur.

*l. si plures. 6. in pr. ff. arb. furt. cæs.*

## XLIX.

Licet autem de arboribus cæsis, ex L. Aquilia actum sit, nihilo minus tamen ex l. 12. tab. hac actione experiri licet, (a) sed in id duntaxat, quod amplius est in hac actione. (b)

G

(a) d. l.

(a) d.l.pen.ff.arb.furt.cæs.obstare videtur l.i.ff.ad leg. Aquil. Vide Donel. lib.21.comment.c.3.pag.472.lin.28. & seq. (b) d.l.i.ff.d.t.Ratio est, quia ex uno factovtrāq, illa actio pœnalis descendit. Sed obstare videtur l.plura delicta. s3. ff.de O. & A.

## L.

Sic etiam cum legis Aquiliæ actione concurrit actio iniuriarum, si quis aliquem iniuriosè vulnerauerit, sed alterâ electâ altera consumitur, nisi in id, quod amplius ex ea competit.

l qui seruum.34.in pr.ff.de O. & A. Sed posteriori huius conclusionis partio obstarere etiam videtur d.l.plura delicta. s3. ff. d. t.

## L I.

Similiter cum hac legis Aquiliæ actione concurrit actio commodati, si tibi vestimenta commodauero, & tu ea ruperis. Et licet priùs commodati egerim, competit tamen mihi & legis Aquiliæ actio in id, quod in ea amplius est.

l. Vnde queritur 7. §. i. ff. commodati. At obstare videtur d.l. qui seruum. 34. §. vli. ff. de O. & A. de quo loco aliud Donelli iudicium, d. lsb. 21. comment. c. 3. pag. 658. aliud item Cuiacij lib. 3. obs. 25.

## L II.

Concurrit item cum hac actione Legis Aquiliæ, actio furti; vt si quis idem animal alienum, & surripuerit & occiderit; neque alia aliam consumit.

l. nunquam. 2. 6. i. ff. de priu. del. obstare videtur l. si is cui. 71. in pr. ff. de furt. Sed vide Donel. lib. 21. comment. c. 3. pag. 657.

## L III.

Similiter cum actione legis Aquiliæ concurrit, publicum legis Corneliiæ iudicium; puta si quis dolo malo hominem occiderit. Et licet ex lege Aquilia priùs sit actum, Corneliiæ tamen legi præiudicium fieri non debet.

l. inde Neratius. 23. §. si dolo seruus. ff. ad L. Aquil. & l. qui seruandarum. 14. §. i. ff. de prescriptis verbis. l. i. C. quan. ciuil. act. crimin. præiudic. Sed obstare videtur

videtur l.4. C. de publicis iudic. Vide Cuiacum in lib. 37. Pauli ad edictum.  
pag. 230.

## LIII.

Succedit nunc genus damni alterum; quod est, cùm quis integrum siue illas rei corpore alicui nocet; veluti si quis misericordia ductus alienum seruum compeditum soluerit, ut fugeret, (a) vel de manu alicuius excusserit, velex naue numos eiecerit alienos, anulum, aut poculum, & quod excussum vel eiectum est in flumen, mare, aut cloacam incidit; (b) vel si quis aprum alienum ferum in laxitatem suam naturalem dimiserit. (c) Vel si quis per lasciviam fuggavit pecudem alienam, quam alius inde abstulit. (d)

(a) l. & eleganter. 7. §. idem Labeo. ff. de dolo malo. & §. vlt. Inst. de L. Aquil. (b) l. si seruus seruum. 27. §. si quis de manu. vers. idem etiam in factum. ff. ad L. Aquil. & l. duo. 23. l. qui seruandum. 14. §. 2. ff. de prescr. verb. Quo loco à Pomponio & Vlpiano Iureconsultis reüci nobis videtur Sabine sententia prior de actione damni iniuria proposita in d. l. 27. §. si quis de manu. ff. ad L. Aquil. (c) l. in laqueum. 55. in fine ff. de adquir. rer. dom. (d) §. interdum quoque. Inst. de oblig. que ex del. nasc.

## LV.

Contra eum autem, qui eiusmodi aliquod damnum, alicui accepit, competit domino actio subsidiaria in factum, (a) prætoria, legi Aquilæ accommodata. (b)

(a) Per textus ad præcedentem thesin adscriptos. (b) l. quia actionum. II. ff. de præscr. verb.

## LVI.

Hactenus de damno, quod datum est alicui in corpore rei: Edificendum nunc paucis de corruptela (a) hominis: quæ est damnum, quo animus hominis, (b) potestat alienæ subiecti, velut serui (c) vel filij fam. (d) dolo (e) alicuius corruptus est.

(a) Corruptela dicitur hæc damni species in l. si quis 9. § si in seruo ff. de ser. corrupto. (b) l. 1. §. persuadere. & §§. seqq. l. si quis seru. 9. §. vlt. ibi, vel in animo damni senserit. & l. vt tantum. 14. §. 1. ibi, interest nostra animum liberorum

nostrorum non corrumpi. l. corruptitur animus. 15. ff. d. t. Cuiac. in lib. 19.  
Pauli ad edict. pag. 273. Donel. lib. 15. comment. c. 25. toto tit. ff. de seru. corr. (d)  
l. vttantum. 14. §. 1. ff. d. t. (e) l. i. in pr. & l. 3. l. 5. ff. eod.

## LVII.

Corrumper autem animum siue mores alieni serui aut filij fam. dicitur, qui dolo malo eum solicitat ad aliquid vel faciendum, vel cogitandum quid improbi; (a) veluti ut iniuriam alicui faceret, vel furtum, vel ut peculium intricaret, aut amator existeret, vel erro, vel malis artibus esset deditus, vel seditiosus esset, vel rationes dominicas intercideret, adulteraret, vel etiam rationem sibi commissam turbaret; (b) vel luxuriosum aut contumacem facit; (c) vel persuadet, ut alea ludat, aut ut fugitiuus fiat; (e) vel ad hoc eum recipit, id est, refugium abscondendi causa in suo agro, aut alieno loco ædificio refugium præstat; (f) vel in popinam ducit. (g)

(a) d. l. i. §. persuadere. ff. de seruo corrupt. (b) d. l. i. §. is quoque deterior. ff. cod. tit. (c) l. 2. ff. d. t. (d) l. si quis seruum. 26. ff. de iniur. (e) l. i. §. sed vtrum. vers. imò. l. in hoc. 10. ff. de seruo corrupt. (f) l. i. §. quod autem. ff. d. t. (g) l. si quis seruum. 26. ff. de iniur.

## LVIII.

Non solum autem bonæ frugi seruus aut filius fam. corrupti dicitur, sed & qui iam malus est, si quis eum, ut quid improbè faciat, hortetur, aut ei monstrat, quemadmodum facere debeat: vel saltem cum quid improbè facturum laudet.

l. i. §. sed vtrum. ff. de seru. corrupt.

## LIX.

Ex hoc delicto competit actio serui corrupti (a) in duplum damni dati; (b) quæ actio directa est, vel vtilis: directa datur domino serui vel ancillæ corruptæ; vtilis competit patri ob filium filiam uefam. corruptos: (c) Itē, usufructuario, si fructuarius seruus à proprietario, vel extraneo sit corruptus. (d) Estque perpetua non temporaria; & heredi cæterisque successoribus competit: in heredem non datur, quia pœnalis est. (e)

(a) d. l.

- (a) d.l. si quis seruum. 26. in fin. ibi, incipit servi corrupti actio ff. de iniur. l. si quis seruo. 20. vers. nobis ut ag. C. de furt. & seruo corr. & §. sed et si credat. vers. & cum nobis. Instit. de oblig. quae ex del. nasc. (b) l. i. in princ. l. si quis seruum. 9. §. datur autem. l. vt tantum. 14. §. in hac actione. ff. de seru. corrupt. (c) d.l. vt tantum. 14. §. i. ff. d. t. (d) l. si quis seruum. 9. §. si in seruo. ff. eod. i. it. (e) l. hac actio. 13. in pr. ff. b. t.

## LX.

Habetur autem in hac actione aestimatio non solùm eius damni, quo seruus aut ancilla vilior, & minoris precij esse cœpit, (a) sed & quod seruus fugitiuus domino abstulit, (b) quod item dominus alij ob vitium illud servi aut ancillæ præstítit. (c)

- (a) d.l. si quis. 9. §. vlt. & l. vt tantum. 14. §. aestimatio. ff. b. t. (b) l. in hoc iudicium. 10. ff. eodem tit. (c) d.l. tantum. 14. §. his consequenter. & §. seq. ff. d. tit.

## LXI.

Filio filiaue fam. corruptis venit in hanc actionem omne damnum, quod pater ob eam causam passus est, & aestimari potest: Veluti aestimatio operarum, quibus pater priùs iure suo vtebatur, ac propter prolem suam corruptam vti posse desijt: (a) item aestimatio rerum earum, quas filius aut dilapidauit, aut fugiens secum abstulit. (b)

- (a) argum. l. qua actione. 7. in princ. ff. ad L. Aquil. & l. vlt. ff. de his, qui deiec. vel effud. Cuiac. in lib. 19. Pauli ad edict. pag. 278. Donel. 15. comment. c. 25. in fin. Vide lob. Schneidevvin. ad §. in duplum. num. 7. Instit. de action. Vbi scribit, patrem aestimare posse, quod filius corruptus nec ad studia, nec ad artificia amplius sit aptus. (b) argum. d.l. in hoc iudicium. 10. ff. de seru. corrupt. Cuiac. d. loco. & Donel. d. cap. 25. in fin.

## LXII.

Duplum verò non totum pœna est, sed ei simplum damni inest. Vnde hanc actionem mixtam dicimus, partim rei persecutoriam, partim pœnalem.

d.l. vt tantum. 14. §. in hac actione. ff. de seruo corrupt. Cuiac. in lib. 19. Pauli ad Edict. pag. 279. col. 1.

D I S P V T . S E C V N D A  
LXIII.

Sed quia s̄a penumero malitiosæ quædam mulierculæ discipulos curæ & disciplinæ nostræ commissos, tum etiam nostros famulos famulasue suum ad commodum corruptunt, quando eos ad se voce blanda pelliciunt, pecuniâ lautas in epulas, aliumue minimè probū in vsum erogandâ emungunt, ab ipsis nostris famulis vinum, panes, lac, butyrum, & id genus alia, nobis furtim ablata accipiunt, commodè h̄ic moueri elegans h̄ac quæstio potest, liceatne contra hos etiam corruptores, corruptricesue hanc serui corrupti actionem vtilem stringere? Zasius id affirmat; (a) cuius opinioni eatus adhærendum putamus, (b) quatenus nostra pecuniariter (c) intersit, discipulum aut famulum famulamue nostram corruptam non fuisse. (d)

(a) In parat. ff. tit. de seru. corr. arg. d. l. vt tantum. 14. §. i. ff. d. t. (b) per l. pen. ff. eod. tit. (c) competit enim h̄ac actio ad duplum damni, quod in patrimonio siue re familiaris nostra per ipsam corruptelam, nobis datum est. l. i. in princ. ibi, quanti ea res erit, in duplum. l. s. ibi, vtilitatis estimatio. l. si quis. 9. §. pen. ibi, quanti cares erit. d. l. vt tantum. 14. §. i. ibi, qui in patrimonio nostro esset, & pauperis rem se factum esse, & §. in hac actione. & §. estimatio. ff. d. t. (d) Non obstat, quod neque dominica, neque patriæ potestari sunt subiecti discipuli, & famuli nostri; quorum tamen alterutrum, huic vt locus sit actioni, desiderari videtur. l. vt tantum. 14. §. i. ff. eod. tit. Nam & vsufructuario vtilis hac datur actio seruo frumentario corrupto etiam ab ipso domino. l. si quis. 19. §. si in seruo ff. b. t.

LXIII.

Idem etiam de vxoris (a) nostræ, itemque nostri fratris (b) corruptoribus & corruptricibus affirmare non dubitamus, si ex ipsa corruptela damnum rei familiaris fecerimus.

(a) Argum. d. l. 9. §. si in seruo. l. vt tantum. 14. §. i. ff. de seruo corrupto. Schneidvvin. ad d. §. in duplum. n. 8. Inst. de action. & Sichard. ad l. si quis. 20. n. 10. C. de seruo corrupt. (b) arg. l. s. iunct. l. 2. C. ad L. Fab. de plagiari. Quam sententiam. & alij quidam Dd. amplectuntur, quos citat Sichard. ad d. l. 20. n. 11. C. de furt. & seruo corrupto. Ipse tamen Sichardus Angelum secutus ab hac opinione dissensit. per iura ad thes. praced. sublit. adducta.

LXV.

Hinc opportunè & illud queritur, an stuprata alicuius formosa & bene

& benè educata filia patricius hæc competat vtilis actio, vel hoc saltem nomine, quòd eam virginem parua elocare potuisset dote, puta aureis trecentis, sed ipsi nunc vitiæ non nisi mille aureis in dotem datis virum inuenire potest? Nos ad tuendam affirmatiuam proclues sumus.

Huic enim actioni locus est, etiam corrupta prole nostra, l. vi tantum. 14. 5. 1.  
ff. de seruo corrupto, modò ipsa corruptela res nostra familiaris imminuta fuerit, per  
textus ad thesin 63. sub lit. c. adscriptos. Vide quoq; Iasonem & Zaf. add. §. in du-  
plum. & ibidem etiam Iohan. Schneid. n. 11. in fin. Inst. de actione.

## LXVI.

Cæterùm anceps h̄ic exoritur quæstio, an ipse met qui moribus  
corruptus est, hac experiri actione contra corruptores possit, nec ne?  
Et licet autoritate iuris inspecta propior veritati sit negata opinio,  
etiam quorundam. Dd. iudicio, non desunt tamen, qui affirmatiuæ  
planè adhærent, eamque omnino æquam putant.

Vid. Iohan. Schneid. ad dict. §. in duplum. n. 10. Inst. de actionib.

## LXVII.

Denique cum hac directa & vtili actione seruicorrupti concur-  
rit actio furti, de rebus nostris, quas persona corrupta ad corrum-  
pentem detulit.

I. Neratius. II. §. 2. & I. pen. ff. de seruo corrupt. & I. si quù. 20. C. defurt. &  
seru. corr.

## Additamenta.

## I.

**A**nnus in primo capite legis Aquiliæ vtilis non est, sed continuus.  
(a) An autem, & qualis differentiæ ratio adferri possit, cur in  
priori capite æstimationem ad annum, in posteriori ad trintatam  
tum dies fieri Plebiscitum velit, controvèrtitur? Nos cum Azone (b)  
hanc adsignari posse, quòd in priore maius, in posteriore minus da-  
mnum versetur, existimamus. (c)

(a) Textus est in l. ita vulneratus. 51. §. æstimatio. 2. ibi, repetitis ex die vul-  
neris, &c. ff. ad leg. Aquil. (b) in summa Cod. de leg. Aquilia. (c) Glossa in l. 2.  
in pr. in verb. anno. ff. ad leg. Aquil. et vulgo Doctores. Dissentit Iohan. Glossator, qui  
differentiæ rationem afferri posse negat, vt eum refert gl. d. loco.

Quæ-

2.

Quæritur & illud, an legis Aquiliæ actio cum infamia sit coniuncta? Et non esse verius dicitur.

Argumento l. si seruus seruum. 27. S. si cum maritus 30. & ibi Glossa ff. ad leg. Aquil. iuncta l. diuortij. 2. C. rerum amotarum.

3.

Secundum legis Aquiliæ caput, quod in desuetudinem abijt, (a) competit se videtur, etiam si non fuerit læsa res nostra, sed alia ratione damnum datum, intercepta fortè nobis vtilitate quadam. (b)

(a) l. si seruus. 27. S. huius legis. ff. ad leg. Aquil. & S. liberum autem. Instit. eod. tit. (b) Ut per exempla declarat Cuiac. in parat. ff. ad leg. Aquiliam. & in parat. C. eod. tit.

4.

Non raro (quod mirum est) mitior in eum stringitur legis Aquiliæ actio, qui animal preciosissimum & integerrimum occidit, quam qui minus preciosum & integrum interemit.

Argumento l. ait lex. 21. l. vnde Neratius. 23. S. idem Julianus. & l. si ita vulneratus. 51. ff. ad leg. Aquil. S. his autem verbis. Instit. eod. tit. Ex quibus locis intelligitur, lege Aquilia nullam esse constitutam poenam, si quo tempore animal plurimi est, interficiatur, sed tunc demum, cum depreciatum est.

### FINIS DISPV TATIONIS SEC V N D A.

Ka 3071  
(3/4)

ULB Halle  
003 261 573


3



5b

Burffind. 3/1.





Farbkarte #13

B.I.G.



## Disputatio II.

DE DAMNO, VNDE LEGIS AQVI-  
LIAE, VEL IN FACTVM PRÆTORIA  
actio:tum etiam corruptela serui filijue fam. ynde  
serui corrupti actio,

Q V A M;


Auspice D. O. M.

P R A E S I D E

C L A R I S S I M O  
ET CONSULTISSIMO VIRO,  
DOMINO HENRICO BOERO, V. I. D. ET PRO-  
fessore in Illustri Tubingensium Academia celeberrimo,  
Præceptore per honorando:

ORDINARII EXERCITII GRATIA  
hora, locoque consuetis pro ingenij viribus defen-  
dere conabitur

IODOCVS COLB SPIREN.



T V B I N G A,  
Apud Georgium Gruppenbachium,

A N N O M. D. X C V I I I.

E